



Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ioannes Chrysost. E. 27. Ianuarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

27.IAN. *Vita Sanctorum.* 65
suum exhorrescere Divum videret , au-
daciâ linguam armante , *Nosce nos*, ait,
amabo. At POLYCARPVVS , vultu ad
severitatem composito , id tantum re-
spondit , *Novi e quidem primogenitum*
Sathanam. Cæterum Romæ cùm degeret ,
divinitus de morte suâ edoctus , lictori-
bus obviam progreditur. Sub pugnæ
initium voce è cælo animatur , jamque
Christo malè jussus dicere: *qui; inquit,*
malè illi possū dicere, qui ipsos LXXX.
annos famulanti sibi mali nil fecit un-
quam? Ergo ad rogam damnatur. Sed
virtutem ipse absolvit ignis , dum tan-
gere veritus structâ velut è flammis
porticu ambit innocentem , nec jam
lædit, sed regit, suavissimum interim in-
adstantes odorem ejaculatus. Ad ex-
tremum gladio confonas sanguine ignem
extinxit, nobili nimbo , & quem
vel suis imbris calū præfert. Ex Sur.

S. IOANNES CHRYSOST. E.
27.Januarii.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis
pingat alter Chrysostomus ; nos
umbram damus. Nondum Pontifex
Byzantinus erat IOANNES , cùm in
eius conspectum se dedit Apostolorum
Princeps D. Ioanne Evang. comite , &
sanctioris potestatis ac magisterii indi-
ces claves illi ac librum obtulit. Et verò
quid mirum, si hoc Doctore etiamnum .

E orbis

66 Vite Sanctorum. 28. IAN.

orbis gaudet, qui præceptorē magnum Paulum, imò eundem cum Paulo magistrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvoltante capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse illum, dum ad mensam scriberet, assistere dicitanti similem alii etiam viderunt. Talis itaque IOANNES cùm urbe suā hereticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscripteret, sancta libertatis vindicta acerrimus, & qui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ incidit: nam IOANNES imperii sui etiam in Reges memor templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisque non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamque secundum exul in meliorem patriam cælum abiit, ad id à geminis, quos suprà memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basilisco invitatis. Siluit itaque aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadragesimum. Ex Surio.

S. I A C O B U S P O E N I T E N S.

28. Januarii.

Hominis, mi lector, speculum cape & peccantis & poenitentis, IACOBVM inspice. Hic postquam Anachoretæ XL. omnino annos DEO militavit, miranda maxima patravit, trophya de